



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1738. usque ad annum 1740

**Fleury, Claude**

**Augustæ Vindelicorum, 1786**

**VD18 90119355**

§. 6. Ulteriores Jansenistarum motus contra quosda Franciæ Præsules.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67878](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67878)

Sæc. XVIII. in perpetuū damnarent: Re tam fe-  
A. C. 1739 liciter, tamque gloriose peracta Episcopus omnes libros & scripta Janse-  
 niano veneno infecta publice comburi  
 iussit. Accepto hujus rei nuntio sum-  
 mus Pontifex immensa animi lætiti-  
 a perfusus, gratulatorias ad Episcopum  
 dedit literas, ejusque Religionis Ze-  
 lum & filiale obsequium pluribus com-  
 mendavit.

## S. VI.

*Ulteriores Jansenistarum motus con-  
 tra quosdam Franciæ  
 Episcopos.*

Sub idem ferme tempus Georgius Le-  
 zarus Berger de Charency, qui Ce-  
 rolo Colberto in Montpeffulana Ecclesia  
 Episcopus successit, totus in eo erat,  
 ut quas Prædecessor propagandæ Jan-  
 senianæ sectæ studio Ecclesiæ suæ in-  
 tulerat, ruinas repararet. Eo fine die  
 septima Martii omnibus & singulis suæ  
 Diæcesis Clericis præcepit, ut Ale-  
 xandri VII. formulæ, rejecta omni di-  
 stinctione juris & facti, *pure & simpli-  
 citer* subscriberent. Huic præcepto pa-  
 ruere omnes, excepto Villebrunio Pa-  
 rocho, qui indignatione motus, quod  
 ab Episcopo in consilium non fuisset  
 adhibitus, hoc præceptum promulgare  
 pet-

pertinacius renuit: cumque ingenii sui Sæc. XVIII.  
 vires ad suam contumaciam erudito A. C. 1739.  
 calamo tuendam non sufficerent, The-  
 seos conduxit Parisinæ Curiæ Advo-  
 catos, qui confestim in opem advola-  
 runt edita *Consultatione in causa litis in-*  
*tentatæ Villebrunio Curioni ad S. Annæ-*  
*Montipessulano, & mandati Episcopi*  
*ejusdem, quo subscriptio formulæ Alexan-*  
*dri VII. præcipitur.* In hac rapsodia  
 Advocati propugnant, distinctionem  
 juris & facti immotis ac inconcussis ra-  
 tionis & Religionis fundamentis inniti,  
 ac propterea in Episcopum acrius in-  
 vehuntur, quod illam in subscriptione  
 adhibitam erroribus in fide annume-  
 rasset, hancque notam contra contesta-  
 tam rei notitiam eidem inurere, eosque,  
 qui huic distinctioni suffragantur, velut  
 Ecclesiastico percussos anathemate de-  
 clarare ausus fuisset, cum tamen ipsa-  
 met Ecclesia suum de facti quæstione  
 sensum manifestasset, &c. Postea hi  
 Advocati dictatoria sententia edicunt,  
 hunc Curionem jure egisse, dein am-  
 plo & magnifico elogio defuncti Mont-  
 pessulani Episcopi legitimos de religione  
 sensus prosequuntur, ejus vero Succes-  
 sorem probris sane indignissimis one-  
 rant, in hoc solo adhuc moderati, quod  
 in eum, ejusque mandatum nondum  
 ex Cathedra excommunicationis ful-  
 mea

Sæc. XVIII. A. C. 1739. men vibrarint. Paulopost tamen Jansenistæ ad hujus Episcopi mandatum responsionem vulgarant, quam anno sequenti Benedictus XIV. peculiari Brevi die vigesima nona Novembri damnavit. Pari temeritate in ipsam etiam Senonensem Archiepiscopum die prima Septembris tumultuati sunt; cum enim hic novum confecisset catechismum, & proscripito veteris usu ex hoc solo fidei rudimenta tradi, indicta suspensionis pœna jussisset, Parochi quidam Episcopis suis, eorumque imperiis non minus ac Ecclesiæ decisionibus resistere assueti, hunc catechismum rejecerunt; ut vero promeritam effugerent pœnam, pro more Jansenistis usitato Advocatorum patrocinium implorant, obtinentque. Hi igitur omnes penitus hujus Catechismi apices ad pondus sui Sanctuarii dimetiuntur, plura fidei dogmata Dictatore Quesnello censoria virga perstringunt, præsertim illa, in quibus populus de obedientia Pontifici & Episcopis præstanda instituitur, hancque *legibus Ecclesiæ esse contrariam* pronuntiant, & pro tribunali sedentes declarant, quod Parochi hac in causa suo Archiepiscopo resistendi, eique obsequium denegandi jure legitimo gaudeant.